IMAGO

NOVÆ, ET ANTI-
quæ Theriacopejæ appri-
mê deſcripta in Epinicio
pro Pharmaceutica
Synoride, dicto
coram

ILLUSTISSIMO P. C. AUGUSTO
Senatu, & Sapientiſsimo Medico-
Chirurgico atque Pharmaceutico
Cæſar-Auguſtano
Collegio

A

D. D. LAURENTIO ARIAS,
Die 27. Menſis Februarij,
Anni Domini
1726.

11202/P

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY

PER varios caſus, per tot diſcrimina rerum Theriacæ magnæ confectio ſe ſe tandem aliquando coram te ſiſtit, Auguſta Civitas, ad cujus graviſſimum conſpecpectum ſubortæ per hoſce annos diverſarum ſententiarũ, ingeniorumque tempeſtates, velut ad Auguſti Solis præſentiam ſerenantur. At quonam fato accidiſſe dicam, negotium hoc veſtris temporibus, Patres Conſcripti, vobiſque Rempublicam adminiſtrantibus fuiſſe confectum? Ego planè non id humano caſui, ſed divino cuidam conſilio tribuerim. Vobis, vobis, inquam, debebatur hæc gloriâ; vobis pro magnis in Rempublicam meritis hoc præmium ſuperi reſervarunt. Cum enim in tam longâ contentione timeretis, ne quid, ob hujus medicaminis inopiam, Reſpublica detrimenti caperet, una hæc mali cogitatio veſtrum altiùs transfòdit animum, quàm malum ipſum, & plagæ ægrotorum corpus affligare potuiſſent Quare quis vos Patriæ veros Patres pleno ore non appellet? Audiſti unquam, Pharmacopæorum nobile Collegium, Romanum aliquem Conſulem præter morbos, morborum etiam umbram repuliſſe? Repellit Auguſta Civitas. Comperiſti ne virum de Patriæ ſalute, & incolumitate

Virg. Æneyd. lib. 2.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

11202/P

adeo ſolicitum, ut non modo præſentibus, ſed futuris damnis paret medicinam? Parat Auguſta Civitas. Demiraris quemquam alienam infirmitatem, ut propriam ægrè pariter pertuliſſe, eà tantum de causà infirmum in capite, quod Reipublicæ membra videat infirmari? Præſtas id quoque, Auguſta Civitas; ſuſcitatura ab inferis, ſi poſſes, mortuos, cum omnes, quos potes, Cives, è mortis faucibus reducis ad vitam. Hæc eſt profectò natura generoſitatis tuæ, hæc innata conditio magnificentiæ, quam in *Leone* oſtentas; præ ardore animi diuturnà febre Leonis inſtar torreri, præ cordis magnitudine comburi, totiſque viſceribus inflammari. Magnus te Leonis *ſpiritus intus alit*, anguſtumque corpus non patiens, efferveſcit in pectore, pulſum agitat, ſanguinem commovet, charitatis febrem accendit, ſuum pabulum in arentibus infirmorum membris hujus Vrbis, & Orbis terrarum inventurum.

Virg. Æneyd. lib. 2.

Verum jam ad ſcopum, ad quem frequens adeo Senatus convenit, nos vocat oratio. Dicendum eſt enim, quam magnis Theriaca magna nominibus uſurpetur; quanta ſit illi virtus; quo ſub Auctore nata tantopere adoleverit; quonam pretio habita; quà demum diligentià, & ſolemnitate Priſcis, & noſtris temporibus parata ſit, ut dubitare debeat nemo, quin ea, quam Auguſtum hoc Pharmaceuticum Collegium hodierna die diſpenſandam aggreditur, omnium optima nuncupanda eſſe videatur. Ac primum nomina breviter percurramus, inter quæ ſicut nullum eſt *Theriaca* communius, ita nullum ad ejus excellentiam ſingularius fingi, aut excogitari potuit. Quid enim præfatum indicat cognomentum niſi theriacam eſſe (1) *Medicinarum Dominam*? Dominam dixi? Non uſus ſum

(1) *Belbacenſe tom.* 2. *in Speculo Doctrinali lib.* 12. *cap.* 107 *fol.* 1143.

ſum voce, quà debueram; non enim Domina, ſed (2) *Regina* potius compellatur, (3) *Quæ nunquam à ſublimi, & priſtino Majeſtatis throno depoſita fuit, & non niſi interituro Orbe deponetur* Vultis noſcere perfectam ejus, & omnibus numeris abſolutam cum Regio munere ſimilitudinem? Illud, quæſo, diligenter perpendite. Omnis Regum, & Principum poteſtas, ut Sacra teſtatur pagina, de ſurſum eſt: (4) At *Divinum* hoc medicamentum *cœlitus traditum eſſe cenſetur* (5) *& proceſſit ab inſpiratione, ac providentià Divinà, aut re inſpirationi ſimili* derivatum fuit. Reges ad Populorum, Provinciarumque ſuarum exemplum, ac normam, quibus plebs ſubdita adamuſim conformetur, à D.O.M. conſtituti ſunt: (6) *Regia* theriacæ *Antidotus* alterantium omnium medicamentorum *regula* vocatur, (7) & eorum, quæ præceptis artis componenda ſunt inſignis norma ad *eligendum*, dehinc ad *præparandum, componendumque exemplum* non vulgare. Reges, etſi dignitate cæteros antecellant, majeſtatem tamen expedit humanitate temperare: Theriaca medicinarum facile Princeps (8) earundem dicitur *Mater*. Reges inſuper de Regnorum ſuorum quiete ſoliciti, nullum non movent lapidem, ut tranquillam pacem, & duraturum fœdus quam diligentiſsimè componant: Theriaca pacis adeo amica eſt, ut hàc de causà (9) *Galenè* vocetur, *hoc eſt tranquilla.* Reges ut optatà pace perfruantur, bellum quandoque indicunt, conſerunt ardenter prælia, pugnant ſtrenuè, donec hoſtes acerbam cladem Populis comminantes à Reipublicæ corpore procul exterminent. An id quoque theriaca magna non præſtat? Ne vertatis in dubium AA. (10) *Alexipharmacum*, quippe ab alijs dicitur, *quia deleteria venena intus aſſumpta evacuat, aut fugat.*

(2) *Iovberto lib. de peſte cap. 19. fol. 166.*

(3) *Muſitano tom. 1. lib. unico de febrib. cap. 25. fol. 363. col. 2.*

(4) *Jovberto loc. citato.*

(5) *Avicena libello de viribus cordis tract. 2. c. 4. apud Sylvaticum lib. 2. de uſu theriacæ cap. 1. fol. 271.*

(6) *Marco Oddo in methodo de compoſic. medicam. cap. 27. fol. 38.*

(7) *Sanchez lib. de theriaca ad Pharmac. cap. 1. fol. 485.*

(8) *Sylvatico libr. 2. de uſu theriacæ in præfacione f. 206.*

(9) *Galeno lib. de theriaca ad Pamphilianum.*

(10) *Galeno 5. de ſimp. medicament. facult. cap. 18.*

gat. Ab alijs (11) *Alexiterium*, *quoniam venenatarum ferarum morſus, & ictus, aut venenoſa ſanat.* Ab alijs denique (12) *Antidotus*, eo quod *non ſolum extrinſecùs impoſitum, ſed intùs aſſumptum, malignas, cæcas, & latentes corporis affectiones ſanat*, morboſque fere omnes humani generis hoſtes infenſiſſimos, mortem quotidie minantes oppugnat, frangit, vincit, expellit, triumphum agens immortalem. Poſtremo ſi Reges deſęviente fortaſſe animis apud vulgus ignobile ſeditionis tempeſtate, cum ſe ſuà Majeſtate expectandos ſiſtunt, irarum turbatum pelagus, placatum jam ſubitò conquieſcit, haud abſimili ratione theriaca medicinarum *Regina*, efferveſcente febris æſtu, turbatiſque humorum corruptorum interſe mutuò procellis: (13) *Corporibus tanquam aliqua morborum tempeſtate vexatis, ut tranquillitatem, ſanitatem inducit.*

(11) *Galeno de ſimpl. medic. facult.*
(12) *Galeno lib. 1. de antid. c. 1.*
(13) *Galeno lib. de theriac. ad Piſonem c. 13.*

Mirabili vero theriacæ magnæ virtuti, quæ poterit par oratio inveniri? Præclaris (14) me ſanè dotibus prædita omnia artis opera prætervolat. Tam peregrinis conſtat ſimplicibus, & tam nervoſis rebus, (15) ut laborem improbum in *præparando*, & æqualem peritiam in *miſcendo* eà, quæ par eſt, proportione requirat. Quare ſicut ſingulis, (16) diligenter exploratis ſuum finem optimè adipiſcitur (teſte Galeno, quem honoris cauſa nomino) (17) *Si eorum, quæ imponuntur, virtus cognita, & virtutum interſeſe proportio ſervata fuerit*; ita profectò (18) *fraus, & imperitia medicinarum, qua plerumque compoſitores laborant, antidotum multoties inutilem reddiderunt* (19): *nam unius alicujus improbitas ſæpe reliqua omnia corrumpit.* Si vero exacta ad pondus fiat commixtura, tanti roboris, tantæ virtutis, ac efficaciæ tantæ ſuſcipit qualitates, ut lethales venenatarũ ferarum morſus quàm citiſſimè

(14) *Sanchez de theriaca ad Pharmac. cap. 1. fol. 485.*
(15) *Sanchez ibidem.*
(16) *Galeno de theriaca ad Piſonem cap. 12.*
(17) *Galeno lib. 1. de antidotis cap. 2.*
(18) *Galeno lib. de theriaca ad Piſonem c. 12.*
(19) *Galen. loco proxime citato.*

coer-

coerceat, ne per venas lues amplius ſerpat in humanæ vitæ jacturam. Nec ſolum(20) à contractis jam morbis liberat, verùm etiam ab imminentibus, ut experimento magiſtro didicimus, præſervat; nec (21) corporis tantum infirmitatibus, *ſed*, quod caput eſt, *etiam animi paſſionibus, ipſum qnamquam graviter infeſtantibus*, quibus, præter Deum, mederi fere nemo poteſt, virium ſuarum robur oppoſitum pollicetur. O rem miram, & inauditam! Quis non hæreat ſtupenti ſimilis? Quis admiratione defixus non obſtupeſcat? Commoveri vos mihi, ni fallor, videmini Auditores Ampliſſimi; nec non tantæ virtutis notitiâ ſtupefacti ex me requirere, qualem illa Auctorem promeruerit?

(20) *Galeno de uſu theriacæ ad Pamphilianum.*
(21) *Galeno de theriaca ad Piſonem cap.* 15.

Neminem veſtrum præterire arbitror: (22) *Quicquid ineſt certi medicinæ, obſervationibus magna ex parte deberi.* His ergo Delphicus Apollo deditus, cæcæ medicandi arti ad theriacæ confectionem lucem dedit non exiguam; Solis quippe refert cæcitatis tenebras diſſipare. At quoniam æquum omnino erat, ut quæ ſub Regio nomine Regum imitatur munia, Regio pariter decoraretur Auctore, fulgentiſſimum, ſumpſit exordium à Rege Mithridate, qui plurimas medicinas adverſus venenata pocula (23) in damnatis capite expertus, eiſdemque in mixturam compactis, *medicamentum unum effecit, ex eo ſe ſperans auxilium venenis omnibus præſens habiturum.* Magnum quoque, anno à Chriſti nativitate quinquageſimo quarto imperante Nerone, hauſit incrementum à Sapientiſſimo Andromacho, quoniam, (24) *non temerè, ſed exactâ quâdam ratione, & exquiſito ſupra modum conſilio*, (25) non nulla ademit, & plura adjecit: præſertim viperas, quibus (26) *Mithridaticam antiquavit antidotum, & è veneno ipſo viperarum contra venenatos earun-*

(22) *Baglyvo lib.* 1. *praxeos medic. cap.* 2. §. 1. *fol.* 5.
(23) *Galen. lib.* 1. *de antidot. cap.* 1.
(24) *Galeno ad Piſonem cap.* 3. & 5.
(25) *Galen. lib.* 1. *de antidot. cap.* 1.
(26) *Galeno* 1. *de antidot. c.* 1.

(27) *Galeno* 1. *de antidot. c.*1. *& lib. de theriac. ad Piſonem cap.*5.
(28) *Galeno ad Piſonem cap.*3.
(29) *Muſitano lib. unic. de feb. cap.*25. *f.*364. *col.*1. *tom.*1.
(30) *Senerto tom.*6. *lib.*4. *de febr. cap.*5. *fol.*466. *col.* 2.
(31) *Galen. lib.* 1. *de antidot. cap.* 1.
(32) *Galeno* 1. *de antidot. c.*1.
(33) *Galeno* 1. *de antidot. c.*1.
(34) *Los Sereniſſimos Reyes dieron Privilegio al Colegio Ceſarauguſtano, para fabricar la triaca; y Phelipe V.* (*que Dios guarde*) *lo confirmò el año de* 1715. *y manda*, que ſolamente eſte Colegio, y no otra perſona alguna examinada, ò no examinada, ni Colegial de eſte Colegio de por sì à ſolas, pueda fabricar la triaca magna, ſino que eſto lo aya de hazer el Colegio, &c. *Conſta por acto teſtificado en Madrid, por Don Joſeph Bordonaba, en* 28. *de Septiembre de* 1715.
(35) *Galeno ad Pamphilianum.*
(36) *Galeno ad Pamphilianum.*

rundem morſus (27) robuſtius expreſſit remedium.

Quanto vero in pretio, quantàque æſtimatione à Romanis haberetur, inde vobis licet conjicere, ut Cæſares negotiorum pondere gravati, (28) hujus tamen remedij diligentèr conquirendi non obliviſcerentur: (29) *Imò magnis ſumptibus ſimplicia ad ejus compoſitionem à diverſis orbis partibus comparabant*, (30) *nullique ſumptui*, ut quam diligentiſſimè componeretur, pepercerunt. Inde Antoninus (31) qui theriacæ *vitia, virtuteſque ex actiſſimè dignoſcebat*) non minus Imperij, quam publicæ ſalutis ſolicitus (32) *Suſcepto adverſus Germanos bello*, cum *ille in Provincijs, quæ ſecus Iſtrum ſunt, degeret*, Euphrati (Demetrio vità functo) *per litteras ſignificavit, ut ſibi renunciaret, quiſnam Medicus Imperatoriam Antidotum conficienti Demetrio affuiſſet: cui reſpondit; Galenum ſemper Demetrio, quoties theriacam componeret, adſtitiſſe* : quo audito (33) eam *per litteras componere Antoninus juſſit*, tantique ipſi ſtructuram operis comiſſit; quod Imperatoris Conſiliũ imitatus Catholicus Hiſpaniarũ Rex, (34) ſpeciali Decreto, huic Collegio, tanquam alteri Galeno conficiendam tradidit: arbitratus nimirum, tandiu vitam ejus, & Populi futuram incolumem, quandiu theriacæ confectio per inſignes Artifices tractaretur. Quapropter mirum eſſe vobis non debet, quod illius uſus (35) uſque adeo frequens apud Romanorum optimates extiterit. Alij (36) Neomenià ipsà, ſeu primà lunæ die; alij quar-

quartà, alij diebus ferè ſingulis, Divino quaſi nectare, vel dulciſſimo poculo theriacâ utebantur. Quid referam Antoninum? (37) Cui, priuſquam ad Romani Imperij aſcenderet majeſtatem, uſque adeo uſitata fuit, ut nullum ferculum, nullæ dapes, nullum convivium ipſi jucundum videretur, quod non prius mirabili illius virtute, quaſi ſuaviſſimis ſalibus condiretur. Tantopere theriacâ (38) *abundè quaſi delicato quodam cibo recreabatur*. Nec quæ in delitijs erat Antonino, Principum domibus aberat medicina: imò in Aulâ Regiâ velut in propriâ ſede Regale pharmacum commorabatur: (39) *Ab Antonino enim auctoritas medicamento amplior crevit*, & per totum latè Imperium Romanum illius fama pervagata eſt. Vt autem omnium animi quodam quaſi Circæò Lenocinio in fidelitate erga Imperatores ſtabilirentur, illius uſus (40) cunctis deinceps permittebatur; rati quippe fuere (41) regnandi cupiditate ſuccenſi homines, nullo ſe majori beneficio poſſe populum obſtringere, quam ſi theriacam (42) *repentinis occaſſionibus, improviſiſque eventibus promptam, paratamque decenter* habentes, illius ſalutem procurarent.

Ne autem tantum opus digno careret artifice, (43) Cæſareis dumtaxat, Regijſque Medicis totius rei cura committebatur. Inter alios vero (44) duplex enumeratur Andromachus, Magnus, Xenocrates, Damocrates, Demetrius, Crito, Menecrates, & Galenus, qui (45) cum apud ipſos tanta eſſet *diſcordia inter theriacæ deſcriptiones*, Andromachi traditionem, ut optimam probavit, & in uſum Imperatorum paravit. Jam vero ut Galenus Antonini palato blandiretur, primum (46) illius conficiendæ Romæ dedit ſpecimen: par enim erat, ut caput Orbis experiretur antidotum,

quam

(37) *Galeno ad Piſonem cap.2.*
(38) *Galeno ad Piſonem cap.2.*
(39) *Galeno ad Piſonem cap.2.*

(40) *Galeno ad Piſonem cap.2.*

(41) *Galeno ad Piſonem cap.2.*
(42) *Galeno ad Piſonem cap.2.*

(43) *Muſitano lib. de feb. cap. 25. fol. 364. col. 1. tom. 1.*

(44) *Galeno diverſis locis, ſed præcipue ad Piſonem cap. 12. & ad Pamphilianum.*
(45) *Galeno ad Piſonem c. 12.*
(46) *Baglyvo lib. 1. prax. §. 1. fol. 49.*

quam poſtea reliquis membris læthali veneno laborantibus miniſtraret. Sed proh Deus immortalis! Quantæ ſunt Sapientiſſimorum Virorum laudes; quanta ipſorum trophea! Quà enim verborum copià fas erit explicare, quanto populi plauſu, quantà Romanorum Civium acclamatione, quantà doctiſſimorũ hominum admiratione Galenicũ Roma artefactũ exceperit? Non æquali plaudentis populi ſtudio columnas Trajano Victori Quirites erexerunt: non æquali omnium lætitia currus junxerunt Cæſaribus: non æquali denique animorum conſenſu, vel obeliſcos, vel pyramides, vel alia id genus ornamenta triumphanti cuiquam Imperatori paraverunt. Habent enim aliquando victricia ingenia triumphos ſuos; qui eò æſtimabiliores ſunt, quò non in unà tantum Vrbe, non in uno tantum Regno, non in unà tantùm Provincià, ſed in omnibus litterarij Orbis Provincijs celebrantur. Teſtes appello Ægyptios, qui theriacam, (47) jubente Turcarum Imperatore, in magni Cayri delubro inauditâ quàdam ſolemnitate conficiunt. Teſtes etiam ſunt Veneti, (48) inter quos ex graviſſimi illius ſenatus Conſulto adſtantibus Medicis omnibus, & Pharmacopolis ingenti ſolicitudine res tota perficitur. Quid referam (49) Gotolaunos, quid Gallos, tum (50) Pariſijs, tum (51) in magnà Carthuſià, qui mirà eruditiſsimorum virorum frequentià theriacam elaborarunt. Teſtentur denique tot non intermiſſa ſæcula, quæ rationem ſic illam efformandi à Galeno probatam, unanimi omnium conſenſu receperunt: quouſque adveniente ſæculo decimoſeptimo Joſephus Quercetanus vir nobili ingenio præditus (52) loco decoctarum carnium, pane mixtarum, & contuſſarum vipereos pulveres docuit eſſe adjungendos. Quam præclaram efformandi ſpeciem plurima Collegia,

(47) *Alpino de Medic. Ægypt. lib. 4. cap. 6. apud Senertum tom. 6. lib. 4. de febr. cap. 5. fol. 466. col. 2.*

(48) *Muſitano tom. 1. libr. de febr. cap. 25. fol. 364. col. 1.*

(49) *Ex orationib⁹ D. D. Frãc. Troch, et Joſephi Caſalins recitatis ante graviſſimum Senatum anno 1695. & 1722.*

(50) *Ex relationibus mercurij menſis Octobris anni 1704. à fol. 21. ad 30.*

(51) *Ex deſcriptione Toloſæ impreſſa cum menſe Februario an. 1722. parata fuit in ædibus pharmaceupticis Aulæ RR. Patrum.*

(52) *Quercetano in pharmacopea Dogmatica reſtit. impreſſa Lypſiæ in 8. an. 1607.*

gia,

gia, Vniverſitates, & innumeri prope Authores, quorum (53) longum ſyllabum Chriſtianus Franciſcus Paulinus offert, amplexati ſunt, & hodiernà luce hoc pharmaceuticum Collegium, plurimà ſuà eruditione, illuſtri doctrinæ varietate, & perſpicuo rei experimento edoctum, Regio diplomati morem gerens, in eandem conſentit ſententiam: judicans utique meliorem opinandi rationem, nec à novitate, nec ab antiquitate, ſed à clariori veritatis apparentià ſoliditatem haurire.

(53) *Chriſtiano Franciſco Paulino in opere de theriaca cœleſti reformata impreſſo Francofurti in 8. anno* 1701.

Sed jam ſatis mihi multa verba feciſſe videor, tum de theriacæ nominibus, & virtute; tum de auſpicijs, quibus vix nata feliciter excrevit; tum etiam de pretij pondere, & ſolemnis pompæ apparatu, quo ubique locorum compacta fuit. Quid nunc reſtat, AA. niſi ut vos æqui rerum æſtimatores, & judices in veſtris ſententijs ferendis integerrimi, eam, quam hodiernà luce hoc noſtrum Collegium diſpenſaturum accedit, omnium optimam eſſe fateamini? Non ne optimam exiſtimabitis eſſe, quam (54) *non temerè, ſed exacta quadam ratione, & exquiſito ſupra modum conſilio*, parandam aggreditur ex Viperis noviter præparatis: non coctis, nimirùm, ſed pulveratis? Præſertim cum rem tantam, non ſine ſapientiſſimo plurimorum Medicorum, Collegiorum, & Vniverſitatum judicio perfecerit: antiquorum veſtigijs, ſed præcipuè Andromachi inhærens; cui (nulla ipſi temeritatis injunctà notà) jure optimo (55) licuit, & Viperas Mithridacio de novo adjungere, & inuſitatam illùc uſque theriacæ adornandæ methodum propalare. Non ne optimam eſſe judicabitis, quam (56) non niſi diligenti exploratione ſimplicium conſtructam, ad rigidiorum cenſorum trutinam coram hoc frequentiſſimo, graviſſimoque Senatu libens exponit? Non ne optimam jure cen-

(54) *Galen. de theriac. ad Piſonem cap.* 3.

(55) *Galen. de theriac. ad Piſonem cap.* 5.

(56) *Galeno ad Piſonem c.* 12.

ſebitis, cujus non tàm in inanibus Authorum verbis examen nititur, quàm in optima (57) ſcientiarum magiſtra experientià, quà & ipſum Collegium coram alijs, & alij coram ipſo (58) ter, & amplius hujuſcemodi fabricam confecerunt? Non ne habebitis ut optimam, quæ (59) non ex adulterinis, ſed legitimis; non ex ſuccedaneis, ſed proprijs, & hactenus in ſimili confectione deſideratis ſimplicibus conſurgit? Vt iride, opobalſamo, raponthico, coſto, therebentinà, caſià ligneà, ſtirace, folio vero, terrà lemnià, amomo, acacià, & aſpalatho. At undenam tot, ac tàm diverſarum rerum genera, quot enumerata audivimus, Sapientiſsimum Collegium hùc afferre fas eſt? Quicumque reſponſum ex me queritis, cogitate loca, quàm vultis, diſita; vincam tamen expectationem omnium; etenim ut cum Galeno loquar, quædam defert (60) *Ex magnà Syrià, quædam è Paleſtinà, quædam ex Ægypto, nonnulla à Cappadocià, ex Ponto, pleraque è Macedonià, & ex Provincijs ad Occidentem poſitis, quas Galli habitant, & Hiſpani, & oppoſitas oras incolentes Mauri.*

Hæc omnia è proprijs locis à naturà ipsà rebus ſingulis deſtinatis afferri jubet, non per Conſules, ſed (61) per delectos à Barchinonenſi Pharmacopolarum Collegio viros cum diplomate, ut par eſt, (62) munito ad publicæ fidei authoritatem. At quam magnificà largitate? Quibus ſumptibus? Quanto auri, argentique pondere? Superi! tantum Æris, non alieni, ſed proprij ad res tot numero, tàm pretioſas, tàm diverſas, tàm loco diſsitas, hùc transferendas liberaliter, & generosè Cæſar-Auguſtanum Collegium inſumit, quantum non privatum hominum penum, ſed commune, & locupletiſſimum (audebo dicere) aut Regum, aut Imperatorum

ex-

(57) *Galeno ad Piſonem c.* 12. *&* 1. *de antidot. cap.* 2.
(58) *Galeno* 1. *de antid. cap.* 2. *& cap.* 9.
(59) *Galeno* 1. *de antidot. cap.* 15. *&* 2.
(60) *Galeno ad Piſonem c.* 12.
(61) *Galeno* 1. *de antid. cap.* 2.
(62) *Teſtimonio hecho à inſtancia del Colegio de Barcelona, teſtificado por Gaſpar Fayos, en* 16. *de Noviẽbre de* 1724

exhauriret Ærarium. Quare excitandarum in poſterum quæſtionum jam finis ſit; nec ullus novam theriacam magnam, ſed maximam, nec bonam, ſed optimam meritò compellet. Si quis etenim id vertat in dubium, (63) cum Sennerto, Manardo, & Alſario Crucio, ne dubitet Sapientiſſimi Collegij alumnos uſurpare illico poſſe Corteſſianum illud: (64) *Homines enim ſumus, & diſcurſum habentes non ſecùs atque Antiqui: deinde habemus exempla ipſorum, quæ imitari debemus, & aliquando etiam aliquà in re ſuperare, & non ſecus atque illi nova invenire.* Hæc autem verba, quæ illis licet reluctantibus, protuli, tacite non ideo prætermittunt, quia non poſſint ob ignorantiam, ſed quia nollunt ob modeſtiam; verum quippe decus in egregijs factis ſitum eſt, non in ampulloſis verbis jactantiæ. Quidquod ſatis ipſis eſt gloriæ in Regio Caſtellæ Senatus Conſulto (65) Catholici, ac Magnanimi Regis noſtri manu, ac Chyrographo duodecimo die Octobris anno proxime elapſo Matriti munito; in quo dum Catholica Majeſtas ad novam theriacæ fabricam ſcripſit regulas, hujus quoque Collegij nomen ad poſteritatem exaravit. Ille calamum non minus edoctus ſtringere in litterarum prælijs, quam in Marciali pulvere rotare gladium, Gordianum difficultatis nodum implicatum undique, & implexum, veſtris ſuffragatus ſententijs, ut novus Alexander diſſecuit, ut eo ab Auctore pacis ſoluto, ſtrictiori vinculo diverſas mentes in unum ſenſum obfirmaret.

O vere fortunatum Pharmacopolarum Collegium (ad te enim gratulabunda ſe confert oratio.) O beatos, & ingenioſos homines, Scrutatores arcanorum naturæ, & ipſius Auctoris naturæ imitatores! Veſtrà ſiquidem peritià factum eſt, ut ex novà viperarum præ-

(63) *Senerto tom. 6. lib. 4. cap. 5. f. 406. col. 2. Alſario Crucio de quæſitis per epiſtolas cent. 4. f. 304. Manardo lib. 6. epiſtol. medic. epiſt. 3. f. 94.*

(64) *Corteſio miſcellan. medicinal. de caſ. 8. tract. 9. f. 594.*

(65) *Decretò ſu Mag. (que Dios guarde) que en Zaragoza,* por aora, no ſe fabrique otra triaca en ella, y para aquel Reyno, que la moderna, la qual ſe tenga preciſa, y oficinalmente por todos los individuos Boticarios, &c.

paratione, novum theriacæ magnæ quodam modo creetur compoſitum; veſtrà curà exanimato corpori vitæ ſpiritus infunditur; veſtrà denique diligentià è veneno antidotus, ex infirmitate ſalus, è morte ipsà vita conſurgit. Vos prudentes, ut ſerpentes exacuiſtis ad viperarum præparationem, calami, linguarumque enſes, exprompſiſtis argumentorum triſulcos gladios, non quidem venenato animo pungendi quemquam, ſed blandè titillandi mentem ſtudioſorum veritatis. Itaque theriacæ commixturam hoc anno præ cæteris maximè profuturam eſſe, quis ignorat? Vultis cauſam? Animorum ardore concaluit, & diſputationum igne decocta fuit. Quid præterea? Antea ex liquore plantarum, ferarumque humore guttatim ſtillato conglutinabatur: nunc vero novus commiſcetur liquor antiquæ antidoto, novus, & nobilior humor accedit. Accedunt quippe liquatæ ſudoris guttæ, quas ut pretioſas gemmas ex humano Doctorum capite ſtillavit labor; accedit, ut ita dicam, ingeniorum ſuccus è diſputationum prælo mentes fatigante ſuaviter expreſſus, ut novum robur, & virtutem theriacæ magnæ ſuperaddant.

Hæc, Auguſta Civitas, à tuo Collegio, te auſpice, incępta ſunt, eadē, auxiliante Te, felicitèr, ut ſpero, perficientur. Reliquum eſt, ut in cujus gratiam Collegij Sapientiſſimi labor incumbit, eidem tota laboris, fructùſque gloria referatur. Suam olim (66) à Cæſare *in aureà Icone* decerpſerit Galenus gloriam: Si quam vero hoc Collegium in theriacà promeruerit, tuam eſſe, totam, Auguſta Civitas, confitetur. Maximum illi decus, & ornamentum erit, te, quod ipſi cedit, non renuere; approbare, quod offert; quod ex animo conſecrat, bono te animo in Reipublicæ emolumentū acceptare.

(66) *Baglyvo lib.* 1. *prax.* §. 1 *fol.* 49.

DIXI.

Concluida dicha Oracion, tomò la Ciudad la marcha para el Ayuntamiento, de donde ſaliò, con aquella mageſtad, pompa, y acompañamiento de ambos Colegios, que correſponde à tan mageſtuoſo Senado; y aviendo dado las gracias ambos Colegios por lo que la Ciudad ſe avia ſervido honrar la funcion, ſuplicò el Colegio de Boticarios ſe dignaſſe diſponer quedaſſen los generos examinados à cuſtodia del Cavallero Regidor Don Jayme Mezquita, como de hecho quedaron à ſu cuydado.

Concurrieron à eſta funcion, y à ſus expenſas ſe lograron los generos cenſurados, los Colegiales Boticarios D. Joſeph Aſin, Mayordomo primero, Don Miguel Arias, Mayordomo ſegundo, Don Franciſco Funes, y Luna, Don Lucas Palacio de Ongoz, Don Lorenzo Ibargoyen, Don Bartholomè Mallada, y Don Andrès Ponte, y eſtos miſmos, con la compañia del Doct. Don Lorenzo de Arias, y el Doct. Don Feliz Perez, mandados juntàr en dos de Marzo en la Sala del Colegio de Boticarios por el Cavallero Regidor Don Jayme Mezquita, peſaron en ſu preſencia los generos examinados, y depoſitados, y ſe confundieron unos, y otros, à fin, y efecto de tritutarlos, y confingirlos conforme reglas del Arte: De lo qual hizo Acto D. Antonio Poyanos, Secretario ſubſtituto.

FIN.